

eo cum suo equitatu contendisse, regique sponte se atque illos tradidisse: nullum vicinorum municipiorum exercitum Gallorum expectare: omnes illas regiones in timore magno esse. Brixianos, qui antea & fidem & audaciam reipublicæ præstabant, timere suis rebus & diffidere cœpisse, quod scirent prætores suos uxores & liberos & supellectilem domesticam ad urbem misisse: quæ res vehementer reprehendebatur. itaque se se in difficultate plurima versari rerum omnium: milites enim vel imperia recusare, vel accepto largiter stipendio tamen perfugere: tormenta eis deesse, quibus oppidum tueri possint, si rex eo veniat: quamobrem vereri, ne Veronam se recipere cogantur. Sed quod ad Caravagianos attinet, eam rem post ea intellectum est ita cecidisse. Nam quod oppidanis, ne diriperentur, statuerant regem, qui cum exercitu aderat, recipi ab ipsis oportere, Ludovicus Michael arcis oppidi præfctus, qui se celeriter & militibus & commeatu communierat, prætore in arcem recepto, se ab Gallis magno animo defendebat. Galli cum triduum tormentis innumerabilibus arcem continenter verberavissent, neque multum profecissent, accidit ut ignis in cellam, qua tormentorum pulvis asservabatur, temere illatus, omnem illam defendendæ arcis facultatem præfecto puncto temporis ademerit: qua re milites perterriti, se atque arcem & præfectum & prætorem regi dediderunt: ipsisque est ea tantum conditione interposita salus data. Cives autem ii Veneti duo jussi se ad mortem comparare, a feredote Franciscino precibus regi suppliciter adhibitis (nam ei cum rege in Gallia familiaritas intercesserat) vitam modo non amiserunt, atque in Galliam captivi missi sunt, in custodiaque diu habiti.

*Caravagii
expagnatio.*

Patavini cum viderent rempublicam omnibus a partibus premi, concilio civitatis convocato rogationem tulerunt, ut quingentæ auri libræ confessim exigerentur, atque ad urbem mitterentur, omniaque se facturos ad eam juvandam, quæ imperarentur, quæ ve ipsi per se cognoscerent profectura, legati statim legendi Patribus renuncient.

*Patavini-
rum fides
in remp.*